Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

autem contra pharao regem egypti.
et sub figura eius ad magnam loquitur
potestatem cui egyptus tradita est ad
regendum. et nichilominus superbit
contra creatorem suum sibi dominationem
terrae uendicans. et se colendam egyp
tiis gentibus tradens. loquiturque iuxta
situm prouinciae quasi ad regem qui
in nili inundatione confidit et plu
uias de celo non magnopere desideret.
auctoremque sui se ipsum putet. uel flu
uios. hoc est diorygas. et riuos nili
a se factos iactitet. Non inquit ange
lum mittam. sed draco magne qui
cubas et resides in medio fluminum
tuorum ipse ueniam ad te puniendum.
Ausus es enim dicere. meus est nilus flu
uius. et ego mei conditor sum. uel ip
se feci flumen quo omnis egyptus
irrigatur. Cum que uenero ponam
frenum in maxillis tuis siue con
stringam laqueis os tuum. quo
magnifice loquebaris. et omnes socios
ac duces tuos quos pisces uocat
adherere faciam pennis uel squamis
tuis. ut extractus e flumine proici
aris. siue deponaris nimium enim
te extuleras in deserto. et cades super
faciem campi. uel terrae tuae eo quod egyptus
campestris prouincia sit. nec colligetur
cadauer tuum. nec congregaberis
id est nequaquam sepelieris. sed bestiis et uola
tilibus celi. dabo te ad deuorandum.
ut cum hec uiderint in te meo iudi
cio perpetrata. habitatores egypti.
cognoscant. quod ipse sim dominus. Hec
autem tibi euenient quoniam populum meum
israhel tuo auxilio decepisti. ut nequaquam
in domino creatore suo. sed in te confideret.
fuistique eis baculus harundineus iux
ta esayam uel uirga uacua. et calamus
fragilissimus. cui innitentes. cassum de
prehendere presidium. ita ut incumben
tibus illis frangereris. et lacerares hume
rum et manum qua tenebaris. et dum
in te securi sunt comminuerentur omnes
lumbi eorum cadentium in terram. et pro
auxilio accipientium uulnera. Hec autem
per metaforam dicuntur quasi ad regem egyp
ti. eo quod et ipsa prouincia nequaquam aduer
saria fuerit israheli. sed dum magna pro
mittit ad id eos auxilio separet. Dra
conem autem iuxta anagogen contra
riam potestatem sepe legimus. Unde et
pharao dicitur DIASKELASTES. quod a deo
separet atque se iungat. et egyptus
id est mesraim in tribulantes et af
fligentes uertitur. eos uidelicet. quos
sibi potuerit subiugare. Iste draco
est preuaricator. de quo iob plenissime
loquitur. et in psalmis scriptum est. Tu
confregisti capita draconis. dedisti
eum in escam populis ethiopibus. Et dra
co magnus ad conparationem minorum
draconum dicitur. De quibus cantatur. tu
confregisti capita draconum in aquis.
Et in alio loco. Hoc mare magnum
et spaciosum. illic reptilia quorum non
est numerus. Animalia pusilla cum
magnis. illic naues pertransibunt.
Draco iste quem formasti ad illuden
dum ei. De quo et in alio loco dicitur. ip
se est rex omnium qui in aquis sunt.
et principium figurationis domini qui
factus est. ut illuderetur ab angelis eius.
Sedet autem siue cubat in medio flu